

- INDEX DISPUTATIONUM  
Theologicorum
- sub Praesidio Leonb. Hutteri.
- De Confessione Augustana
- 2 De unitate essentie divina et personarum Trinitatis
- 3 De personarum in una divina essentia differentiis notis characteristicis, ordine et generatione aeternitate filii Dei aeterna
- 4 De Divinitate Spiritus Sancti eiusq; aeterna processione a Patre et filio, et de sanctis resibus tam veteribus quam recentioribus articulo 2. Aug. Conf.
- 5 De peccato originali et filiorum scripturarum opposita.
- 6 De blasphemia in Spiritum manis in Ecclesia sancti sive peccatum ad mortem articulo 3. Conf. Aug.
- 7 De unione hypostatica arum naturarum in Christo.
- 8 De communicatione et naturarum et eorum idiomatu in Christo.
- 9 De officio Christi sacerdotatibus et staticum humilationis
- 10 De officio Christi regio, et statu exaltationis articulo 4. et 20. Aug.
- 11 De justificatione spiritus peccatoris coram Deo.
- 12 De efficacia ministerii verbi sacramentorum Reg. ministrorum Ecclesie, a vocatione.
- 13 De bonis operibus tract. 4. 6. 7.
- 14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 4.
- 15 De sacramento ingeneris re, 13. a. c. 4.
- 16 De Baptismo, c. 4.
- 17 De Coena domini. 10.
- 18 De poenitentia et confessione " 12
- 19 De Traditionibus humanis in Ecclesia 15. 5. 6. ar.
- 20 De rebus civilibus et perfectate Ecclesiastica. 16. 6. 7.
- 21 De extremo iudicio
- 22 De libero arbitrio
- 23 De causa peccati
- 24 De cultu sanctorum
- 25 Ex Ioh. Ecce Agnus dei illi Dei qui tollit peccata mundi
- 26 De verbbo Dei scripto sev scripturam Sacram.

DISPV TATIO XVIII.

De

# LIBERTATE CHRISTIANA,

& de

ADIAPHORIS:

*Ad cuius theses*

S Y N O E Ω

Sub præsidio

LEONHARTI HVTTERI,  
SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS,

*Mense Novembri Anni M. D. XCVI.*

horis & loco consuetis

*Respondebit*

M. NICOLAVS REBHAN  
*Haynersdorffensis.*



IENAE

Typis Tobias Steinmanni.



Reverendo & Clariſſimo  
Viro,

Dn. GEORGIO MYLIO, SS.  
Theologiae Doctori & Professori in illuſtri  
Salana primario, &c. Domino Pra-  
ceptori & Evergeta ſuo piè  
colendo,

Hæc de Libertate Christiana &  
Adiaphoris themata

Conſecrat ac inscribit

M. NICOLAVS  
REBHAU.

—  
—  
—



# DE LIBERTATE CHRI- stiana: & Adiaphoris.

## THESSIS I.



Loriosum apud omnes est  
LIBERTATIS nomen, resq; ipsa lon-  
gè optatissima, qua de pugnant gen-  
tes, & eam nactæ propugnant acerri-  
mè, nihilq; ferunt ægriùs, quam servi-  
tutis jugum sibi intentari.

2. Næ ergò Christiani etiam de sua, in quam per  
CHristum asserti sunt, libertate gratulari sibi, eandem  
ornare, atq; sartam tectam conservare modis omnibus  
debent.

3. Cujus rei gratia de libertate Christiana συζη-  
τησιν instituemus: ac initio quæ non sit; deinde quæ verè  
sit illa, videbimus.

4. Non est autem politica aliqua & externa liber- In quibus  
tas, qualem Iudæi olim somniarunt, qua piè fideles se- non coasi-  
cundum autovouiac aliquam & leges proprias sine vi stat libertas  
& oppressione aliena civiliter vivant, Christiana.

5. Neg, enim hac tanti est momenti, ut propterea  
Filius DEI sanguinem suum profundere debuerit.

6. Quid quod non Christianorum propria illa fu-  
tura esset, sed cum gentibus plurimis communis?

7. Imò aliarum potius gentium, quam Christia-

norum, cum hos servitutem multoties durissimam servis-  
isse, præsertim sub Imp. gentilibus, palam constet.

8. Sed nec ejusmodi est libertas, qua immunes sint  
ab obedientia magistratus, legum & onerum publicorum:  
Christiani, qualem Anabaptistæ sibi imaginantur, &  
superioribus annis rustici seditioni affectabant.

9. Evangelium enim ut non tollit Magistratus' hi-  
erarchiam; sic nec leges & obedientiam iisdem præstan-  
dam abrogat, sed stabilit potius & confirmat.

10. Quin nec talis est, qualem Philosophi olim &  
Eremitæ commenti sunt, qua quis ab affectibus & cura  
rerum secularium mentem gerat plane liberam.

11. Nam præterquam quod vel simulata illa fuit,  
vel avaricitia regi misericordia introduxit (quod u-  
trumq; verbo divino repugnat) infinitis parasangis Chri-  
stianam libertatem non consequitur.

12. Multò minus verò licentia carnalis aliqua Chri-  
stianorum est libertas, qua homines in omnis generis vi-  
tiorum coeno volutare sese tutò & impunè queant.

Gal. 5, 13. Neḡ enim in libertatem vocati sumus, ut datā  
Rom. 8, 12. carni occasionem, ut secundūm carnem vivamus, sed  
13. secundūm Spiritum: alias futurum ut moriamur.

In quibus  
verè consi-  
nempe liberatio à servitute peccati, ira DEI, potestate  
stat Christi & Diaboli, aeterna morte: accusatione legis, & damna-  
norum li-  
bertas.

14. Sed Christianorum libertas Spiritualis est,  
accusatione legis, & damnatione, ceremoniis item Mosaicis & traditionibus huma-  
nis seu ritibus adiaphoris extra casum scandali, acquisi-  
ta per Christum, & credentibus omnibus gratis per fidem  
donata.

15. Palet exinde, Christianorum libertatem tribus  
potissimum

potissimum gradibus seu partibus constare; quarum singulas ordine considerabimus.

Gradus libertatis Christianæ.

16. Accum libertatis vox ex eorum sit numero, quae regos tu dicuntur, non parum lucis accedere putamus, si captivitatem & servitutem, quibus olim detentis fuimus, singulis praemittamus.

17. Primum autem post & propter lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati nascimur cum peccato, illudque in mortali nostro corpore regnare patimur, obedimus ipsis in concupiscentiis suis, & eidem membra nostra, arma justitiae sistimus: quo fit, ut non tantum sic natura simus filii irae divinae revelatae de coelo Rom. 8, 12. Eph. 2, 3. Rom. 1, 18. super omnem impietatem & injustitiam hominum, sed & mancipia Sathanæ ac aeternæ mortis, in quorum manus per peccatum devenimus.

18. At vero vindex noster Christus Iesus, qui peccatum nescivit, factus pro nobis peccatum, reatum & penas ejus in se derivando ab omnibus iniquitatibus Rom. 5, 1. nos redemit; placavit patrem coelestem, ut pacem jam 1. Joh. 3, 8. Ose. 13, 14. cum eo colamus; Diabolum devicit, opera eius destruxit, & factus mors mortis inferniq[ue] pestis de manu corundem nos liberavit.

19. Et quanquam accepta maxime regeneratione ac Spiritus Sancti primitiis, quotidianis adhuc lapsibus infestemur: isti tamen diploide meriti Christi ita contenguntur, ut nulla sit amplius condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu: calamitates etiam, quae piis in hac vita obveniunt, propriè non amplius poena rationem habent, sed insalutares videntur, correctiones, donaciones & mutuaria convertuntur, adeoque omnia piis in bonum cooperantur.

20. Deinde propter naturæ corruptionem cerviciis nostris incumbebat maledictum legis divinae: veteris item Testamenti populus jugo illo & gravi ceremoniarum multiplicium onere premebatur, & certis legum forensium limitibus circundabatur, quos transilire aut mutare, nisi in extremæ necessitatis casu, per salutis periculum, non licebat.

21. Assertor autem libertatis nostra Filius D E I., non tantum à Politia Mosis & rituum Leviticorum (nisi quatenus cum lege naturæ & decalogi præceptis Gal. 3, 23. congruunt) observatione; sed & à moralis legis condeatione, factus pro nobis maledictum, immunes redidit, ut & non jaceat nobis, neq; simus sub lege, sed sub gratia.

22. Donamur etiam & juvamur Spiritu Sancto, accedente novam in mente lucem, & novos in voluntate ac corde motus, ut sponte legi obediamus, nec jam frustra nitamur coacti à lege.

23. Tandem quia conscientia humana facile religionem sibi fingit in ceremoniis & ritibus ab autoritate vel antiquitate profectis: indidem etiam Christus nos redemit, adiaphoros illos esse docens, nec teneri ius Christianos aut conscientias eorundem alligari, sed omittere, illos posse extra casum scandali.

Altera pars  
disputationis  
de ADIA-  
PHORIS.

24. Qua de Christianæ libertatis parte, cum materia momentis sit sana & incorrupta ejus in Ecclesia doctrina, placet uberioris non nihil differere.

25. Sunt autem Ceremoniæ Ecclesiasticae (quas adiaphora, uera, adiængula non auctoritate Græci; latini traditiones, res medias & indiferentes, ritusq; indigent) res, gestus & actiones externæ, in administratio-

ne

ne sacramentorum & vita communi, quae expresso & speciali  
DEI verbo nec mandata nec prohibita sunt, ac proin  
nec utentem nec abstinentem DEO per se commendant,  
sed liberum usum, nisi interveniente circum-  
stantia aliqua, que naturam earundem mutet, haben-  
tes: adificationis, ordinis & decori causa in Ecclesiam  
ab ordinibus ejus introducta.

26. Quia descriptio duo nobis in hac doctrina con-  
sideranda subjicit, qualitates nimurum ejus internas &  
externas, seu naturam ipsam adiaphororum, & eorum  
usum atq; abusum.

27. Naturam ipsam quod attinet, in adiaphororum  
censu habenda sunt, non quae expresso DEI mandato ni-  
tuntur.

28. Illa enim simplici & absolute necessitatis sunt,  
neg<sup>o</sup> per salutis periculum omitti possunt.

29. Graviter ergo delinquent Pontificii, qui adia-  
phoras putant esse Eucharistiae species a Christo institutas,  
& prout visum sit vel Romano Pontifici, vel concilio,  
alterutram abrogari posse.

30. Nec minus Calviniani peccant, qui signa &  
elementa Sacramentalia, aquam baptisticam, panem &  
vinum in Coena Domini Adiaphora censem in casis  
necessitatis, modo eorum loco avāloyou quid illis adhibe-  
atur.

31. Sed nec prohibita divinitus esse debent, &  
palam impia: ut sunt apud Pontificios, calibatus in  
iis, qui continentie dono non sunt praediti, invoca-

tio sanctorum, imagines ad cultum adorationis proficiuntæ. &c.

32. Verū mea pro adiaphoris computanda sunt, quæ talia sunt, qualia dicuntur, id est, ab autoritate humana profecta, & per se neq; bona, neq; mala; sed quorum laus atque vitium ex usu demum dependet.

33. Hinc Paulus, Esca, inquit, nos non commen-  
1. Cor. 8, 8. dat D E OI: [unico exemplo adiaphororū omnium natu-  
ram explicans] Neg, enim si manducaverimus, abunda-  
bimus: neg, si non manducaverimus, deficiemus.

34. Interim tamen generale mandatum habent, quod requirit, ut ita comparata sint adiaphora, quibus serviri queat adificatione Ecclesie, ordini & deco-  
ro.

1. Cor. 14,  
26, 40. 35. Monet enim Apostolus, omnia fieri de-  
bere τῷ οἰκοδομήν, Εὐχημόνως καὶ κατὰ τά-  
ξιν.

36. Aedificationi autem serviunt, non histriō-  
nica gesticulationes, non nimia variarum, qua vel  
omniō non, vel difficulter observari queant, cere-  
moniarum turba, nec ex quibus scandali materia  
suboriri facile possit: sed moderati & lectissimi quig;  
ritus, qui de rebus piis fideles facile commonefaci-  
ant.

37. Ad διατάξιαν faciunt ea ceremonia, quarum  
usu res quæq; suo loco, tempore & à personis idone-  
is graviter & sine confusione in Ecclesia gerun-  
tur.

38. Eὐχήμονες autem sunt, non qua regalem  
planè

planè splendorem præ se ferunt ; sed quibus cum  
quid religioni nostræ tribuamus, elucescit, tūm alii eidem  
equiores reddi possunt.

39. Ejusmodi ritus sunt certæ feriae festaq;, piæ can-  
tiones: organa musica, imagines, confessio privata, ex-  
orcismus, patrinorum fidejussio, altaria, baptisteria, co-  
mæ uetus, forma vestitus, & consimiles alii.

40. Cadit ergo gravissima illa infinitarum cere-  
moniarum sarcina, qua in Papatu miselli homines pre-  
muntur ; nec non iheatrica illa & histrio nica in pera-  
gendiis sacramentis pompa.

41. Observandum hic est autem, res medias inter-  
dum mutare naturam suam, & evadere vel malas ac  
prohibitas, vel necessarias.

42. Fit illud primò variantibus tempore, personis,  
loco : Sic circumcisio Apostolorum temporibus apud in- Gal. 5, 2. 3.  
firmiores Iudeos, ut adiaphoræ tolerabatur; postmodum &  
apud alios non item.

43. Deinde accedente certis de causis vel man-  
dato legitimo, vel prohibitione Ecclesie, & ordinum Act. 15, 20:  
ejus: Sic e suis sanguinis & suffocati per se & natura 29.  
sua adiaphoræ accedente Ecclesie interdicto siebat illici-  
tus.

44. Hec de natura ipsa adiaphororum: jam de usu  
corundem atq; abusu.

45. Bonus ergo & laudabilis adiaphororum usus  
est, quando talia , qualia sunt , id est , libera re-  
licta, ad edificationem Ecclesie, ad ordinem bonum &  
decorum adhibentur.

Vitiosus

47. Vitiosus verò evadit, quando eadem Christiana libertas violatur, idq; vel defectu vel excessu.

48. Priore modo peccatur, affingendo adiaphoris vel necessitatis absolutæ opinionem, vel cultus per se aig; immediate DEO placentis meritig; figmentum assuendo.

49. Sic peccabat olim Victor Rom. Pontifex, Paschatis festam die Dominico celebrari nimis rigide flagitans, & hoc nomine Asiaticas Ecclesias, Paschatis Iudaici diem retinentes, excommunicationis fulmine feriens : Sic peccant etiamnum Romanenses, quadragesimalis jejunii & cælibatus legem tanquam simpli- citer & per se ad colendum & promerendum DEV M necessariam, urgentes.

50. Posteriori verò modo, vel temeritate ac profanitate delinquitur, in usurpandis rebus adiaphoris, qua vel proximo infirmiori scandalum, vel sibi ipsi quis periculum accersit.

1. Corin. 8. 51. Sic Corinthii olim esu idolothitorum triste ex-  
Gal. 2. 11. citabant inter infirmos scandalum : Sic D. Petrus  
& seqq. reprehensibilis siebat subducendo se in gratiam paucorum Iudeorum, à consortio gentilium, cum quibus promiscue prius cibum sumpserat, ac sic illos non parum offendendo.

52. Vel nausea quadam respuendo aspernandoq; vel omnes, vel saltem non assuetas sibi ceremonias externas.

53. Peccant hac in parte Sacramentarii, quorum palato nihil penè ceremoniarum sapit, nisi quod ab ipsis profectum est.

Vel

54. Vel tandem remissione animorum & cessione  
in admittendis vel abrogandis ceremoniis is, quarum For. Cono  
vel admissio vel abrogatio ab hostibus veritatis, etiam <sup>cap. 100.</sup>  
tempore confessionis eaenda flagitatur.

55. Tale σφάλμα tempore συρράγεως Interimisti-  
ca committebatur, cum quidam hostibus Evangelii Pa-  
pistis urgentibus, in restitutione & observatione rerum  
quarundam adiaphorarum prius abrogatarum gratifi-  
cari, atq; cum ipsis pacisci & consentire vellent.

56. Faxit Christus Servator & Vindex noster  
unicus, ne siamus servi peccati, Diaboli, hominum,  
nec jugum cum infidelibus trahamus, sed in liberta-  
te, ad quam vocati sumus, firmiter persistamus, &  
tandem illum ex omnibus erepti malis  
celebremus seculis infinitis.

AMEN.

---

D. Augustinus Epist. 118. ad  
Januarium.

Totum hoc genus rerum (loquitur de Adia-  
phoris) liberas habet observationes, nec dis-  
iplina ulla est in his melior gravi prudentiique  
Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere vide-  
rit Ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit.  
Quod enim neque contra fidem, neque contra bo-  
nos mores injungitur, indifferenter est habendum,  
& pro corum, inter quos vivitur, societate servan-  
dum est.

Gerson.

Gerson. T. 3. Alph. 63. de vita spir,  
an. lect. 2. lit. I.

**S**cimus quod dixerit Apostolus: Quid tentatis  
DEVM, imponere jugum super cervicem disci-  
pulorū, quod neq; nos neq; patres nostri portare  
potuimus? Hoc animadvertis & pia compassione  
deplorans egregius Doctor Augustinus ad inquisi-  
tionem Ianuarii ipsam, inquit, religionem nostram,  
quam paucissimis & manifestissimis celebrationum  
Sacramentis misericordia DEI liberam esse voluit,  
servilibus premunt oneribus, ut tolerabillor sit con-  
ditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non  
agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis  
præsumptionibus subjiciuntur. Si tuo tempore sic  
dolebas, o sapiens Augustine, quid nostra tempesta-  
te dixisses, ubi pro varietate & motu capitum incre-  
dibilis est varietas, & diffusa multiplicitas onerum  
hujusmodi servilium, & humanarum, prout loque-  
rīs, præsumptionum?

F I N I S.



94 A 7389

St. Louis



**ULB Halle**  
002 716 291

3

A standard linear barcode consisting of vertical black bars of varying widths on a white background.


VO17





# Farbkarte #13

B.I.G.



41

